

suis Capitulo Ecclesie Spalatensis pro Scemlien et Nenada filio ejus reambulatoria. Quare volentes fideliter Vestrum mandatum exequi, ut tenebamur, ad requisitionem jam dictorum Symeonis et Nenade ejus filii, illico unum ex nobis videlicet..... magistrum Johanem Zintzij, concanonicum nostrum, hominem fide dignum, ad infra scripta negocia peragenda, una cum nobili viro dubrancio dubrancich, homine vestro superius inter alios vestros homines nominatum expresso duximus destinandos, qui a nobis recedens, tandem pariter tam homo vester quam noster ad nos reddiere, ac voce consona nobis retulerunt, eo modo: quod ipsi in octava festi beati Laurentij levite et martiris, nunc proxime preteriti, cum vicinis ac conmetaneis possessionum Lucane, Zopcichi et Velmosane, de quibus superius in vestris litteris Regalibus fit mentio, procedendo, simul a Nobilibus, ignobilibus, Clericis et Laycis, ac aliis cujusvis status et condicionis hominibus, prout de infra inscriptis scire potuissent, diligenter investigando, talem scivissent veritatem, quod metas predictarum trium possessionum, Lucane, Zobicichi et Welmosane ac confinia earundem, nullo contradictore apparente, sed potius omnibus Vicinis ipsarum possessionum assentientibus reambulantes, taliter invenerunt. Quod pretacte possessiones ab oriente terminantur in quadam Valle nuncupata Mocni dolaz. Et sic versus meridiem procedendo..... in quodam colle seu monticulo vocato Nebessa, deinde versus occidentem procedendo per viam super Radosichi. Et sic versus congeriem lapidum appellatum Vidomira gomila. Et ultra procedendo in via stricta vocitata Vodice. Et deinde ultra in loco appellato Plisunza, que quidem Plisunza est meta inter ipsas possessiones Symeonis et Nenade ejus filij, et inter possessiones Georgij dubrancich de yazuina. Post hec ab occidente progrediendo versus aquilonem, terminantur ipse possessiones Symeonis et Nenade in Kalaz qui vocatur Karleni. Et recto tramite procedendo in puteo nuncupato Orihovich, et sub Orihouich in Torentem, qui ducit ad quandam arborem vocatam gelham in prato, quod quidem confinium siue meta est inter territorium ecclesie sancti Luce de Cetina et ipsas tres possessiones, demum progrediendo a dicta Gelha in quandam arborem juxta Villam, que vocatur Margudi. Et inde per viam publicam, que ducit ad tres lapides prope yasuinam. Et sic recto tramite in monticulo, qui vocatur Clobucina, et usque ad silicem, qui nuncupatur Lapis perforatus, sive juxta sclavicum ydyoma et proprius Utli kami vel Ulla Stina. Posthec recta linea, per aquilonem versus orientem procedendo usque ad locum appellatum Godel. Et ab ipso in supradictam vallem Mocni dolaz. Et ita prout ab ipsis audivimus, Vestri mayestati per nostras litteras fideliter et consentiose intimamus. Datum Spaleti in nostra matrici Ecclesia, sub impressione nostri Capitularis sigilli autentici, feria secunda proxima post festum beati Bartholomei Apostoli. Anno domini ab ejus nativitate millesimo trecentesimo sexagesimo nono, Indiccionem vero septima.

A tergo :

Excellentissimi Principi et domino eorum Naturali, domino Ludovico, dei gratia Serenissimo Regi Hungarie, pro Symeone et Nenada ejus filio in facto confinium et metearum ipsorum possessionum in Cetina.

Originalis membr. in c. r. secreto Archivio Viennensi.